



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

II. De Iure Divino, Consuetudine, & Constitutionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)



# DE JURE CANONICO, TITULUS PRIMUS.

Dividitur in tres partes. In prima ponit, unde dicatur Jus Canonicum.  
In secunda, quid sit. In tertia, ex quibus constet.  
Partes patent. h. d.

**I**URI Canonico daturum operam nosse oportet, unde talis denominatio defecdat. Et quidem Jus, generale est nomen: Canonicum verò, dicitur à verbo Græco *κανών*, a quod Latine idem significat, quod regula: unde Jus Canonicum, Jus regulare non male dixeris: quam denominationem ex eo accepit, quòd ex regulis prætorum Patrum ad rectam vivendi normam institutis deducitur fuerit. Est igitur Jus Canonicum, quod civium actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit. Constat verò in primis id Jus, divinæ legis præceptis, consuetudine, & constitutionibus: quæ singula qualia sint, diligentius dispiciamus.

## DE JURE DIVINO, CONSVETVDINE ET CONSTITUTIONIBUS. TITVLVS II.

Jus divinum est, quod continetur in Lege & Evangelio, & est immutabile. h. d.

**I**us divinum est, quod in Lege continetur & Evangelio *b*, atque immutabile semper permanet. Sunt enim Legis & Evangelii præcepta, aut moralia, aut mystica. Moralia præcepta nullam omnino mutabilitatem recipere possunt: Mystica verò, etsi quantum ad iudicium matata videantur, secundum moralem tamen intelligentiam nullam mutationem recepisse comperiuntur.

Quod sit consuetudo, & unde duxerit originem, & quam vim habeat. h. d.

**I**us à consuetudine, post naturalem legem sumpsit exordium, ex quo homines in unum convenientes ceperunt simul habitare: quod ex eo tempore factum creditur, quo Cain civitatem ædificasse legitur. Est autem consuetudo *e*, Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur: in iis enim rebus, in quibus nihil certi divina statuit scriptura *f*, mos populi Dei, & instituta majorum pro lege tenenda sunt: & sicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum sunt coercendi.

Prava consuetudo non ligat.

**H**æc tamen de ea consuetudine intelligere oportet, quæ neque divino Juri, neque Canonicis contradicit institutis: si quid autem contra fidem Catholicam usurpare dignoscitur, non tam consuetudo, quam vetustas erroris est appellanda.

Quid sit constitutio, & quatuorplex: & civiles constitutiones, quæ non sunt contra Evangelium & Canones, sunt honoranda, licet ipsa Ecclesia non ligetur.

a Ca. 1. dist. 3. b dist. 1. in sum. c can. si. 5. hu. 1742. dist. 6. d can. si. 5. ju. vero consuetudm. dist. 6. e can. consuetudo. 1. dist. f can. in rebus. 1. dist.

**C**onstitutio *a* est lex scripta. Constitutionum autem *b* alia Civiles, alia Ecclesiastica. Civiles sunt, quas Princeps, aut Magistratus, aut populi sibi metipsis faciunt: quæ quidem, si Evangelicis, atque canonicis decretis non sint contrariæ *c*, sunt omni reverentia dignæ, atque eis Ecclesia sæpe contra *d* hæreticos, contra Tyrannos, & quoscunque pravos utitur: alioquin nullius sunt momenti, quòd usque ad eò obtinet, ut etiam si quid in eis statutum fuerit, quòd Ecclesiarum respiciat commodum, nullius firmitatis existat, nisi ab Ecclesia fuerit comprobatum. Sed nos ad Ecclesiasticas constitutiones styliam vertamus, earum originem, species, & auctoritatem breviter referentes.

## DE ECCLESIASTICIS CONSTITUTIONIBUS. TITVLVS III.

Canones quibus consent, & quatuorplexia sunt Concilia, & qua Concilia universalia.

**C**anonum *e* quidem alii sunt statuta Conciliorum, alii decreta Pontificum, aut dicta sanctorum. Conciliorum verò alia sunt universalia, alia provincialia, alia verò Episcopalia. Universalia sunt, quæ sancti Patres ex universo orbe *f* in unum convenientes, juxta fidem Evangelicam & Apostolicam considerunt.

Initium universalium Conciliorum celebrandorum post Apostolos cepit temporibus Constantini: & ipsorum celebrandorum est apud sedem Apostolicam auctoritas.

**Q**uorum *g* celebrandorum initium post sanctissimos Apostolos à temporibus Constantini magni cepit, ipse enim primus, cum fervente persecutione docendarum plebium commoditas minime daretur, Christianis, ut liberè congregarentur, facultatem præstitit. Legitima *h* verò Conciliorum universalium aggregandorum potestas & auctoritas est penes sedem Apostolicam: quæ *i*, si Romanus Pontifex interesse impediatur, unum vel plures speciales ad hoc legatos constituere solet.

Quatuor sunt principalia Concilia: Nicanum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense.

**I**nter *k* cætera autem concilia quatuor sunt, quæ totam principaliter Christianam fidem complectuntur, quasi quatuor Evangelia: Nicanum scilicet, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, in quibus velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura confurgit.

Inter discordantia concilia præponitur sententia ejus quod est majoris auctoritatis.

a Canon. constituto. 2. dist. 1. b 3. dist. in sum. c 21. p. canon. cum ad veram. 66. dist. d canon. 1. in sin. & can. sequi. dist. 10. e can. 2. 5. porro. dist. 3. f can. 1. in prin. vers. sub hoc. dist. 11. g can. 1. in prin. dist. 17. h dist. 17. in sum. in sin. & can. 1. & seq. d. dist. i quib. for. k can. 1. 5. inter cætera. & can. seq. dist. 11.

